



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio**

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput XI. Quid dicendum de perpetuò amentibus, semifatuis, surdis simul  
& mutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42206**

## CAPUT XI.

*Quid dicendum de perpetuo amentibus, semifatis, surdis simul & mutis.*

**P**erpetuo amentibus nunquam præbenda est Eucharistia. Vid. *Tamb. in Meth. Comm. c. 4. §. 1.* Si tamen aliquando rationis compotes, & rerum divinarum gnari fuerint, potest & debet illis dari in articulo mortis, modò absit periculum irreverentiæ, nec confict de eorum statu in peccato mortali. *S. Thom. 3. p. q. 80 art. 9. &c.* Censendi etiam sunt illud Sacramentum petiisse, hoc ipso, quod aliquamdiu piè vixerint. Semifatis, qui infirmo rationis usu imbuti sunt, sufficienti tamen ad Absolutionem Sacramentalem, in Paschate & extremo agone Communio præberi potest; imò extra hæc tempora juxta prudens Confessarii judicium dari sæpiùs poterit pro ratione ætatis, institutionis, modestiæ, &c. Vid. *Tann. Gob. tr. 4. cas. 7.* Surdis, & simul mutis potest sacra Communio dari in Pascha-

Perpetuo amentes nunquam sunt comunicandi. Quid si aliquando rationis compotes, & rerum divinarum gnari fuerint.

Quando semifatis communio dari possit.

Item surdis & simul mutis.

Paschate & mortis articulo, si industria domesticorum ita sint informati, ut licet fortè non capiant omnia ad hujus Sacramenti substantiam pertinentia, non tamen ad illud accedant tanquam ad cibum profanum, sed spirituales, institutum pro salute anime: & hoc sufficit, ut possit illis dari Eucharistia in ætate competente, an autem sæpius dari possit, id decernat Confessarius, pro ratione modestiæ & aliarum circumstantiarum. Vid. *Laym. de Eucharist. c. 4. Pal. tr. 21 p. 10. &c.*

---

## C A P U T XII.

*De dispositione animæ ad dignè suscipiendam Eucharistiam.*

Existenti in peccato mortali præmittenda est confessio.

**A**D dignè suscipiendum hoc augustissimum Mysterium requiritur ex parte animæ tanquam necessaria dispositio status gratiæ. Proinde existenti in mortali ante sumptionem Eucharistiæ necessariò præmittenda est Confessio, etsi probabilissimè se credat esse perfectè contritum. Vid. *Trid. sess 14, c. 7. Excipe nisi sit necessitas*